



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

3. Intra quod tempus conferri debeant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

*in Praxi Benefic. Tit. requisitā ad collationem bonam à n. 49. & Tract. De Regia ad Pralaturas nominatione. § monasteriis V. Vacantibus, ubi enumerat triginta & unum modos.*

2. Possunt tamen omnes hi modi revocari ad tria vel quatuor genera. Nam beneficia vacant vel de facto tantum, vel de jure tantum vel per sententiam Judicis, vel denique de jure & facto simul. Ipso facto tantum vacat beneficium, quando quis de facto, vi vel metu, cogitur relinquere sui beneficii possessionem, vel vi de possessione deicitur, c. 2. & 3. *sup. De his, qua vi metus ve causa fiunt.* Ipso jure tantum vacare dicitur, quando ab ipso jure inducitur vacatio, seu quando, certo aliquo casu adveniente, ab ipso jure declaratur quis privatus beneficio, ita ut absque alia declaratione Judicis aut monitione vel citatione illud alteri conferri possit, licet is, qui jure privatur, possideat beneficium. Per sententiam Judicis vacat, quando ab ipso Jure ob aliquod delictum inducitur vacatio, seu privatur quis beneficio. Ipso jure & facto vacat per mortem beneficiarii vel per reavocationem vel resignationem veri tituli.

## §. III.

Intra quod tempus conferri debeant.

1. Conferri debent intra sex menses
2. De beneficiis in Commendam dari solent.

1. Conferri beneficia debent intra statuta tempora, id est, intra sex menses: alioquin clapsis, ab Episcopo, si ad eum spectet collatio, ea devolvitur ad Capitulum, & contra à Capitulo ad Episcopum. Hinc ad Metropolitanum, c. 2. h. t. & ab hoc ad Patriarcham, cui Metropolitanus subjicitur, vel, si nulli Patriarchæ subjiciatur, ad summum Pontif. Hoc tamen tempus sex mensium computatur non a die vacationis, sed à die, quo collator seivit vel scire debuit beneficium vacare: neque illud legitime impedito currit, c. *Quia diversitatem* §. h. t. c. 3. *sup. De supplenda negligentia Pralator.* Quod si collator post tempus sibi præfixum contulerit beneficium adhuc vacans alteri, sustinetur quidem eo casu collatio, sed ex patientia, dummodo contulerit idoneo.

2. Quandoque verò beneficia vacantia non

conferuntur in titulum, sed commendantur. Est autem commendare nihil aliud, quam deponere, l. *Commendare* 108. D. *De verb. signif.* l. *Lucius* D. *Deposit. can. Ne quis arbitretur* xxii. *quæst.* 1. cap. 1. *inf. De Deposito, Glos. in cap. Nemo* *sup. De electione in V. Commendare* Sed quia de commendatione beneficiorum nec tempus, nec brevitatis, cui studeo, fufius agere permittit, videri potest Azor. 2. p. *Instituti. moral. lib. 6. c. 3.* & alii, quos citat Gonzal, *ad Reg. viii. Cancell. Glos. §. 8. m. 62.* & Garz. *De benef. 4. p. cap. 4.*

Illud tamen notandum, quòd beneficium commendatum, sive ad tempus, sive in perpetuum, morte commendatarii non censetur vacare per obitum. Latè Gonzales *d loco à nam.* 48. Quodque, ut in Gallia nihil penè frequentius est Vicariis perpetuis, ita nihil quoque videatur Ecclesiæ Gallicanæ esse perniciosius, dum ut plurimum pueris & infantibus dignitates & beneficia in Commendam dantur. Præsertim sanè Principes Belgici Ecclesiæ consulunt, dum hujusmodi Commendas non concedunt, nec ullis nisi Professis Regulares dignitates conferunt: tantaque circumspectione indulgo suo quoad nominationem & primarias dignitates utuntur, ut ipsæ Ecclesiæ sperare non possint à Cleri electione meliorem sortem, quàm à nominatione Principali, ut rectè scribit Zypæus, *Tit. de Clerico agrotante* 3. subjungens 4. jam olim in Brabantia Ordines à Principibus suis stipulatos fuisse, ne ipsi vallas dignitates in Commendam darent, aut permitterent dari; idque summo Reipublicæ bono, quamvis in Burgundia non nihil ab hujusmodi voto deflectatur; ex vitio vicini, inquit, aëris.

## §. IV.

De pluralitate & incompatibilitate beneficiorum.

1. Beneficia quædam compatiblea, quædam incompatiblea.
2. Incompatiblea vel sunt primi generis.
3. In quibus solus Pont. dispensat regulariter.
4. Vel sunt incompatiblea secundi generis, id est, quoad retentionem.
5. In quibus Episcopus dispensare potest.
6. Compatiblea sunt simplicia beneficia.

8, Dum